

*Ferd. Margaritas*

1976

/ Ill/me et R/me Dñe. Ante aliquot menses, ex parte generalis Inquisitionis Lusitaniae oblatus est Sanctissimo D/no Nro libellus supplex, in quo petebatur explicatio dubiorum aliquot circa libros prohibitos. Is libellus de more transmissus est ad congregationem Cardinalium super negotiis librorum prohibitorum, vel prohibendorum constitutam. Congregatio, cum primum convenire potuit, re mature considerata, ita respondendum censuit.

[Ad primum dubium in quo petebatur, qui libri prohibiti fuerint, post Indicem librorum a sanctae memoriae Clemente Octavo promulgatum: respondit Sacra Congregatio, nunc in unum colligi varia decreta, quibus varii libri prohibiti sunt post editum Indicem Clementis VIII, et brevi decreta illa omnia simul typis esse mandanda. Id cum factum fuerit exemplum eorum ad Ill/mam D.V. transmittetur. [Ad secundum in quo petitur declaratio, an quando  
15 committitur facienda correctio alicujus libri, et liber jam correctus prodit, an, inquam, maneat libertas Inquisitionis generali corrigendi eundem librum observata regula Indicis, de librorum correctione 2. Respondit Sacra Congreg/o licere quidem Inquisitioni generali corrigere eundem librum, dummodo non prodierit correctio  
20 ejusdem libri a Sancta Sede Apostolica; tunc enim si dubitatio aliqua oriatur circa ejus libri correctionem, consulenda erit ipsa Apostolica Sedes. [Ad tertium in quo petitur, an liber absolute prohibitus, si videatur expurgari posse, liceat inquisitori generali librum expurgare, et sic expurgatum permittere. Respondit Sacra  
25 Congregatio, observandas esse in hoc negotio regulas Indicis secundam, quintam, et octavam: caute tamen, et mature procedendo, considerata librorum qualitate, id est, utilitate, quae ex libris percipi poterit, vel periculo ac detrimento quod forte immineat, si libri ejusmodi, quantumvis correcti concedantur. [Ad quartum, in  
30 quo petitur an permitti possint Psalmi Davidis, aut aliae partes

- 1976<sup>a</sup>
- / Scripturae sacrae latinis versibus conscriptae, post annum Domini millesimum quingentesimum quintum. Respondit Sacra Congregatio per-  
mitti posse, dummodo nihil contra regulas Indicis contineant. [Ad  
quintum in quo petebatur, quomodo concordet permissio corrigendi li-  
5 bros Molinaei, quae habetur in Indice generali littera G. appendice  
ad secundam classem, ubi agitur de libris Gasparis Caballini cum  
constitutione Clementis Octavi quae mandat libros Caroli Molinaei  
non corrigi, sed omnino in damnatis haberi: Respondit Sacra Con-  
gregatio, observandam esse Constitutionem Clementis VIII, quae post  
10 Indicem promulgatum edita fuit. [Ad sextum, in quo petitur, cur in  
Indice generali, lit. B in appendice tertiae classis, ad marginem po-  
natur, donec expurgentur, cum ibi agatur de bibliis, haereticorum  
opera impressis, vel eorundem annotationibus, argumentis, summariis,  
scholiis et indicibus referta, quae omnino prohibentur. Respondit  
15 Sacra Congregatio, errore typographorum lineam illam, quae include-  
re debuit libros tantum qui purgari possunt, extensam fuisse ad  
libros qui omnino prohibiti sunt. [Ad septimum, in quo petitur, cur  
a Gregorio Papa XIII prohibita sint omnia Apophtegmata, exceptis  
illis quae Paulus Manutius edidit: cum Apoph~~te~~gmata cum nominibus  
20 authorum prodeant, et nihil periculi contineant, cui non facile  
per expurgationem occurri possit. Respondit Sacra Congregatio, ser-  
vandum esse diploma Gregorii XIII, qui corrigi et publicari procu-  
ravit, sine nomine Erasmi, omnia Apophtegmata et adagia, quae dili-  
gentissime Erasmus, ut etiam Paulus Manutius, Adagia nominant in  
25 inscriptione libri. Neque repugnat diploma Gregorii XIII cum regu-  
la quinta Indicis generalis, ubi Apophtegmata permittuntur, etiam  
ab haereticis edita, modo repurgata sint. Gregorius enim loquitur  
de Adagiis et Apophtegmatibus quae usque ad sua tempora edita fue-  
rant, quae ut supra diximus, Erasmus omnia in unum corpus redegerat.  
30 Index autem generalis loquitur de Apophtegmatibus quae postea pro-  
dierunt. Index enim posterior est diplomate Gregorii, ut facile



19/6

/ potest intelligi ex numero annorum notatorum. [Ad octavum, in quo  
petitur, an quod statuit regula tertia Indicis de versionibus scrip-  
torum ecclesiasticorum ab authoribus damnatis editis, intelligendum  
sit de versionibus editis ante promulgationem Indicis: an etiam de  
5 edendis in posterum. Respondit Sacra Congregatio, intelligendum es-  
se de utrisque, cum eadem sit omnino ratio. [Ad nonum, in quo pe-  
titur, an quod in regula tertia de versionibus scriptorum eccle-  
siasticorum ab haereticis editis, intelligatur etiam de editis ab  
haeresiarchis. Respondit Sacra Congregatio, non intelligi: id enim  
10 repugnaret regulae praecedenti, in qua prohibentur haeresiarcha-  
rum quaecumque scripta, quocumque nomine, titulo, aut argumento edan-  
tur. [Ad decimum circa regulam quartam Indicis in quo petitur, ut-  
rum permitti possint aliquae partes sacrae Scripturae conversae in  
sermonem vulgarem, dummodo subsequatur commentarius in eadem lin-  
15 gua vulgari. Respondit Sacra Congregatio, id permitti posse, si  
pars illa Scripturae sit modica, et statim sequatur explicatio;  
quare permitti non poterit, ut liber integer, aut etiam integrum  
caput Scripturae conversum in linguam vulgarem edatur, etiamsi com-  
mentarium in eadem lingua statim addatur. proinde tolerandum non  
20 esset, ut quis libros Moraliū sancti Gregorii, sine facultate supe-  
riorum lingua vulgari legi posset. [Ad undecimum in quo petebatur,  
an liber secundum regulam octavam Indicis correctus auctoritate a-  
licujus Inquisitionis generalis possit ubique legi, an solum in  
locis illi Inquisitori subjectis: respondit Sacra Congregatio, li-  
25 brum ejusmodi ubique legi posse; sic enim sonant verba regulae.  
[Ad duodecimum in quo petitur, quo pacto intelligenda sit regula  
nona, quae prohibet libros astrologicos: respondit Sacra Congrega-  
tio commentarium hujus regulae petendum esse à Constitutione Sixti  
Quinti summi Pontificis, quae circa judiciariam astrologiam omnino  
30 servanda est. [Atque haec sunt, quae Ill<sup>m</sup> et R<sup>m</sup> Domini et Col-  
legae mei simul congregati censuerunt esse respondenda ad dubitatio-

/ nes propositas ab Ill/ma et R/ma D.V. cui precamur a Deo summam corporis,et animi prosperitatem. Datum Romae, die 20 februarii 1618.

Ill/mae et R/mae D.V.

---

5 Archiv.Vatic.Gesuiti 19 fol.331-332. copie.

Cf.Ibid. 22 epist.192; 21 pag.320.